



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput VI. Non prænoscere Deum futura libera naturalis ordinis in
præfinitionibus & decretis prædeterminantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

si & ipse *formaliter* essem lapis. Atque ita continere *formaliter* creaturas repugnat Deo, non repugnat illas undequaque cognoscere. Quod si eadem

esset ratio utriusque; Deus, quia nequit habere malitiam, non judicaret peccata; neque spiritualis corporalia videret, aut infinitus finita.

CAPUT VI.

Non prænoscere Deum futura libera naturalis ordinis in præfinitionibus & decretis prædeterminantibus.

SUMMARIUM

1. Declaratur status quæstionis.

2. 3. Duo præmittuntur scitu necessaria.

4. 5. 6. Author nec Thomistis, nec scientiæ mediæ defensoribus, Calvinis, aut Jansenii notam iniurii, nec aliâ censurâ perstringit.

7. 8. & seqq. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales, adeoque ea non prævidet in efficaci suæ voluntatis præfinitione.

15. 16. 17. 18. 19. Probat, præfata assertioni Doctorem Anglicum non esse adversum.

20. & seqq. Solvuntur objectiones.

1.
Declaratur
status quæ-
stionis.

D. THOMÆ discipuli prædeterminationis physicæ assertores ac vindices strenuissimi illam in unaquaque causarum secundarum operatione necessariam esse defendunt. Ab ea pendere putant, ut cujusque generis effectus ad naturam pertranseant futurorum: talem esse ajunt conditionem causarum secundarum, ut nihil valeant peragere nisi inflexibili Dei præmotione: nullum indifferens posse solis viribus naturalibus in certum actum prodire; & tamen creaturarum dependentiam à Deo, earumque libertatem his limitibus contineri. Clamant ex adverso Societatis Jesu Theologi futura omnia talia esse independentem ab istiusmodi præfinitionibus: has primum à Bannes inductas ad implacabile Scholasticorum dissidium: veteribus Theologis fuisse incompetas: ad Jansenianorum & Calvinianorum dogmata accedere; præstantissimum Conditoris beneficium, arbitrii scilicet libertatem, evertere. Nos librata undequaque absque ullo partium studio veritate à multis annis medium iter arripuimus, quod calasse comperimus etiam veteres Instituti nostri Magistros. Ergo cum Thomistis efficaces promotiones propugnamus in operibus supernaturalibus status naturæ lapsæ, quæ efficiuntur ab hominum arbitrio victrice gratia suffulto; ab operibus naturalibus, & statu naturæ nullo vulnerata peccato, tanquam minus necessarias rejiciamus. Has quæstiones pertractant Theologi in dissertationibus de Voluntate ac Providentia Dei; & revera decreta & præfinitiones attinent ad voluntatem: quare agentes de scientia Dei eas tantummodo explicant, ut Divinæ cognitionis medium constituent. Verum visum est singulas, quandoquidem necesse

est, ut jam telam ordiamur, hoc eodem libro expedire.

Acturis ergo de Divina prædeterminatione in operibus naturalibus, præmittendum est neminem nostrum negare præmotionem Dei generalem, qua Deus humanam mentem incessanter illuminat rerum ideas exhibendo, & voluntatem inclinat generatim in bonum; ut fuscè demonstrant Philosophi. Quamobrem exoritur contentio de motine speciali, & ad certum actum spectante, quatenus mens in hujus veritatis judicio sistit, & voluntas flectitur in hujus boni deliberatam electionem. Nam generalem illam motionem nullus inficiabitur, qui animadvertat creaturam nihil habere à seipsa, neque mentem esse causam sui luminis, sui que natus & propensionis principium. Concursum quoque simultaneum, quo Deus causas à se productas regit conservatque unanimi sensu defendimus. Quare ad solam illam specialem ac prædeterminantem motionem præsens controversia devolvitur.

Secundo præmittendum est Physicam prædeterminationem nequaquam à nobis rejici ob vocabuli novitatem, ut in eam debacchatur Auctor libri, qui inscribitur: *Calvinismus bestiarum*. Quælibet enim hæresis novas quæstiones, & inusitata vocabula in Ecclesiam invexit, quibus & diligentius veritas custoditur, & falsitas exploditur manifestius. Ita Ephesina Synodus Virginem Mariam nominavit *Theotocoon*; & Florentina docet rectissime ad Symbolum Nicænum additam novam particulam, *Filioque*. Insigne quoque habemus exemplum in vocibus *Homousiu*, & *Transsubstantiationis*; quarum primam contra Arianos, alteram contra Novatores usus consecravit Ecclesiæ. Non est quidem hujus generis

2.
Notandum 1.

3.
Notandum 2.

generis nomen physica prædeterminationis, neque Sacrorum Canonum definitione probatum; sed jam in ore omnium versatur, & ubi specialem motionem juxta Augustiniana scita interesse arbitramur, absque profana novitatis piaculo illud sapissime pronunciamus.

4. Absit vero ut vel suspicione levissima existimemus Calvinii aut Jansenii notam juste inuri Thomistarum sententiæ. *Quem enim invenient Janseniani inter Thomistas, qui concedat ita necessarium consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ quamdiu illa inhaeret, quemadmodum necessarius est amor beatificus quamdiu durat visio? Quem invenient qui dixerit voluntatem Divina gratia prædeterminatam carere proxima ad sentiendum potentia?* Ita temperato calamo scribit libro de Libertate incoacta prædeterminationis physica impugnator Annatus.

5. Pariter Scientiæ mediæ defensores, illos nempe, qui defendunt futura libera independentem à decretis prædeterminantibus videri à Deo, nulla possumus censura perstringere. Nam in celebri Congregatione de Auxiliis habita coram Summis Pontificibus Clem. VIII. & Paulo V. causa acerrime pertractata, nihil Magistra veritatis Ecclesiæ rata est definire, ut possis interim pro lubitu seu Molinæ, seu Thomistarum sententiam in Scholis tenere. Commemoratur quidem decretum Pontificis, quo scientia illa mediæ proscritur, pictisque tabellis in Historia de auxiliis conspiciuntur ad genua provoluti hinc Prædicatores promulgationem flagitantes, illinc vero supplices Jesuitæ postulantes ne publicetur peremptoria Sedis Apostolicæ definitio. At assertæ istiusmodi Constitutioni nullam omnino fidem esse adhibendam Innoc. X. ann. 1654. die 23. Aprilis publico decreto sancivit, quod revera non fuerit ex præscripto juris promulgata. Vetitum autem à Paulo V., Urbano VIII. & præfato Innoc. ne hanc quæstionem agitantes, Adversarios suos dicteris, ac censuris proscindant; quod nedum à nobis postulat Sancta Mater Ecclesiæ, sed etiam mutuæ charitatis necessitudo, & amor investigandæ veritatis ingenuus. Quæ an servant aut invidiosas Pelagianismi notas, aut nefaria Calvinii placita adversariis objicientes, ipsi viderint.

6. Tandem neque illos laudare possumus, qui D. Thomam omnium approbatione clarissimum, tanquam vulgarem Scriptorem contemnunt. Hunc Scholarum

principem ducemque reverentur celebriores Academiae, Salmanticensis, Duacensis, Lovaniensis, Patavina, aureaque tabula universæ Ecclesiæ lumen præfulgidum, clarissimumque Universitatis speculum appellat Parisiensis. Præ cæteris Regularium Ordinum Statutis, illius doctrinam approbant quoque Constitutiones nostræ P. v. cap. 2. Ex tanta autem erga D. Thomam existimatione nostra nemo jure à nobis contenderit, ut nunquam ab ipsius placitis recedamus, quod neque Augustino vellem ego concedere, si alicubi errasse deprehenderem. At neque Doctorem Angelicum à nobis dissentire in his controversiis dicturi sumus, quod erit magnum reverentiæ nostræ argumentum. Quod si ægre ferant Prædicatores doctissimi; non proinde minor nobis erit sive Thomæ, sive Scholæ, quæ de ejus nomine dicitur, existimatio.

PROPOSITIO I. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales, & consequenter neque ea prævidet in efficaci suæ voluntatis præfinitione.

7. Ita unanimiter recentiores Theologi contra Thomistas, nedum Jesuitæ, sed etiam alii, Tournely, Habert, L'Hermelier, Henno, Thomassinus, Wittasse, &c. Laudant pro se Thomistæ aliqui Claudium Frassen & fideiiores Scotistas. Verum hi præfinitionem à prædeterminatione fecerunt, & ab intrinseca præmotione decretum; ita ut in vocabulo isto præfinitio, particula præ nullam antecessionem causalitatis designet, sed præordinationis & præscientiæ mediorum ad actum. Ex quo igitur Scotistæ decreta, & præfinitiones fateantur, non consequitur quod etiam physicam statuunt prædeterminationem. Recte Joannes Gonzales differt. de Grat. suffic. art. 2. *Scoti discipuli, inquit, admittunt prædefinitio-nem, & negant præmotionem physicam intrinsece receptam in voluntate.* Nostrum vero, præsertim Itali, unanimiter hanc propositionem defendunt, Adeodatus Summanticus Episcopus S. Severi, Fulgentius Bellelli Ordinis Exgeneralis, Felix Leoni Ex Procurator Generalis, eruditissimi & clarissimi viri ac præceptores mei sapientissimi Benedictus Gattini Procurator Generalis, Hieronymus Zazzeri Ex-Assistens Italiæ, & in Romanæ Sapientiæ Archigymnasio publicus Sacrarum literarum Professor, & Congregationis Sacrorum Rituum Consultor, Joannes Jacobus ipsius Frater, necnon Silvester Merani in Urbe Regens, qui omnes de naturæ viribus, & gratia

in

in hoc tantum statu vidrice præclara volumina conscripserunt: & quos hoc tantum loco honoris causa nominavi. Ex veteribus vero prædeterminationem physicam negant Martinus Albiz, Agidius à præsent., Leonardus Coqueus, Petrus de Aragonia, Brunus, Antonilez, Gavardi, & alii.

8.
Probatur 1.

Probatur 1. propositio. Futura libera ordinis naturalis minime efficiuntur à Deo eadem efficaciter prædeterminante: Ergo in efficaci præfinitione à Deo non videntur. Consequentia sequitur, nos enim præfinitionem ac prædeterminationem indiscriminatim accipimus de præfato Scouistarum discrimine minus solliciti. Probatur aut. Hanc Dei prædeterminationem propugnant Thomistæ vel ad salvandam dependentiam causæ secundæ à suprema, vel ut virtus indifferens creaturarum determinetur ad actum: At neutro ex capite hæc prædeterminatio requiritur. Non ad salvandam dependentiam creaturarum à Deo, primum quia stat perfecta huiusmodi dependentia si creatura incessanter illuminetur à Deo & ab ipso nata sit inclinationem in bonum, quæ duo constituunt præmotionem generalem; & si Deus simultaneo concursu creaturam suam regat. Tunc enim sequitur causam secundam nil penitus operari, nisi adjuvante suprema. Atqui generalis illa præmotio, & conservatio causarum secundarum non sunt physica prædeterminatio, quoniam requiruntur ex parte potentia, non actus, & virtutem perficiunt, non prædeterminant. Salvatur ergo perfecta creaturarum à Deo dependentia absque physica illa præfinitione. Præterea ita secundæ causæ subordinantur suprema, ut hæc ad earum actus concurrat juxta uniuscujusque exigentiam: Causæ necessariae, cum ad unum specie effectum sint suapte natura ordinatæ, in illud à Deo necessitate impelluntur: Ergo liberae, & ad utrumlibet indifferentes versatili tantum indigent præmotione. Rursus essentialis dependentia ita intrinseca est creaturæ, ut quidquid hoc titulo convenit, essentiali conveniat necessitate: Igitur si titulo dependentiæ statuenda sit physica prædefinitio; essentialiter & ex necessitate erunt prædeterminata quæcunque efficiuntur à creatura. Insuper quod requiritur ratione essentialis dependentiæ requiritur quoque ex parte facultatis & actus primi, quum etiam facultas, & actus primus essentialiter à primâ causa dependeant: Atqui ex parte a-

ctus primi non datur prædeterminatio: Ergo hæc prædeterminatio ratione illius dependentiæ nequaquam requiritur.

Advertas tamen, quod cum dicimus prædeterminationem physicam non exigi ratione essentialis dependentiæ & vix componi posse cum secundarum causarum indifferentia; non dicimus Dominum univerforum non posse creaturam liberam in quocunque statu prædeterminare, si velit. Magis quippe ipse habet in sua potestate voluntates nostras, quam ipsi nostras: & quomodo creaturam rationalem post Adæ culpam efficienter ad opera supernaturalia prædeterminat, sic potuisset prædeterminare innocentem, & potest nunc, si ita ei videatur, ad naturales effectus determinare creaturam quamcunque liberam. Fatemur quoque, si id Deus efficiat, non consequi necessario libertatis interitum, cum ille intimior nobis intimo nostro non solam voluntatem, sed etiam modum agendi prædefiniret, & contingenter fierent, quemadmodum fiunt, dum voluntas libere determinat semetipsam. Quod explicabimus cap. XII. Regula II.

Sed non arbitramur concedendum esse, hoc quod potest Deus, ita unicuique operi inesse, ut nisi Divina accedat prædeterminatio, nequeat creatura libertas prodire in actum, eoquod talem habeat à suprema causa dependentiam, ut essentia sua petat ad omnia opera prædefiniri. Hanc dependentiam in hoc sitam esse contendimus, ut creatura moveatur à Deo secundum rationem proprietatis suæ, & indifferenter, si indifferens sit, neque habeat in se contrariam atque ad oppositum trahentem inclinationem, qualis est in ordine ad opera supernaturalium virtutum liberum hominis arbitrium sub pondere, & lucta concupiscentiæ. Quod proximo capite VIII. demonstrabitur enucleatius. Verumtamen si ita causâ secunda pendeat à prima, ut nihil omnino, nisi ab hac prædeterminetur, valeat perficere, videtur eandem esse conditionem causæ liberæ, ac necessariæ, cujus duntaxat proprietas est esse ad unum essentialiter determinatam. Atque nisi hæc probentur, & qualiscunque prædeterminatio videatur cum indifferentia consistere, ut docent docti viri complures, saltem ex alio capite arbitror esse rejiciendam, quod in operibus naturalis ordinis necessaria non sit, in malis vero etiam noxia.

Quod vero minime sit necessaria, ut causâ secunda indifferens prodeat in a-

ctum,

9.
Notandum
1.

10.
Notandum
2.

11.
Probatur de
causâ 2da
indifferenti.

ctum, probatur: Indifferentia quæ ab alia causa exigit determinari, est indifferentia passiva, qualis est materia quæ determinatur per formam, & corporis vita expertis, quod ab extrinseco agente movetur. Atqui causarum liberarum indifferentia activa est, non passiva. Ergo causæ liberæ, tametsi indifferentes, nequaquam exigunt ab alia causa determinari.

12. Probatur 2. Ad infallibilitatem Divinæ scientiæ necessaria non est certa futurorum prædeterminatio: Ergo frustratur decretum efficax ac prædeterminans, ut Deus certo futura libera præcognoscat. Prob. antec. Stat. sine prædeterminatione præscientiæ, dicente Augustino de Prædest. SS. cap. x. *Prædeterminatio sine præscientiæ esse non potest; potest autem esse sine prædeterminatione præscientiæ.* Ergo ad scientiæ certitudinem non requiritur prædeterminatio.

13. Confirmatur: Patres, qui de futurorum contingentium præscientiæ loquuntur, nullibi, nisi ubi sermo occurrit de operibus salutaribus, Divinæ efficientiæ meminerunt; sed ideo cognosci docent, quod Deus unico simplici actu universa comprehendat, omniaque sint ei in æternitate præsentia. Quorum verba protulimus Prop. I. cap. IV. Imo sunt, qui diserte asserunt non propterea Deum aliqua prænoscere, quia prædestinata sunt; sed econtra quia futura erant, idcirco fuisse præscita, ita, ut non præscientiæ futuris vim inferat, sed futura causa sint præscientiæ: quod potissimum valet de operibus naturalibus, atque de malis culpæ. Si ergo Deo sunt omnia in æternitate præsentia, præsens est, & humana voluntas, præsens libera voluntatis determinatio, præsens omnis actus ab ista libera determinatione proficiens. Quare ergo Thomistæ, qui illam physicam præsentiam majori, quàm faciant alii, contentione propugnant, aliud Divinæ cognitionis medium existimant necessarium?

14. Elucidatur. Postremo videri à Deo actus liberos ordinis naturalis in ideis rerum, quibus præconcepta est dispositio universi, in qua exhibetur cuiusque creaturæ potestas, motus, affectio, & passio omnis intimior; & nullam videntis interesse prævisionem, etiam idoneis demonstratur exemplis. Si enim ferocem equum fræna mordentem, & fessorem minime tolerantem à longe propiciam; an non appropinquantem præcipitio casurum prænosco? aut si quem evaginato gladio in proximum furem viderem.

R. P. Berti Theol. Tom. I.

ro, nonne occidendum præsentio? Et tamen neque habenas equi moderor, neque iracundum provoco ad necem. Igitur multo magis plura videt Deus absque efficaci præmotione, dum à futuris eventibus nullo temporis intervallo sejungitur, atque volentis & currentis naturam condidit, facultatem conservat, intuetur inclinationem, cordis cogitationes comprehendit.

PROPOSITIO II. Non videtur alienus à præfata assertionem Doctor Angelicus.

Principio diximus physicam prædeterminationem necessariam non esse ad salvandam causarum secundarum dependentiam à prima, & hanc sola generali præmotione illas adjuvare, quam præmotionem creata voluntas pro suo libitu determinet. At hæc videntur consentanea doctrinæ D. Thomæ: qui 1. 2. Q. 1x. art. 6. ad 3. *Deus, inquit, movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis quod est bonum; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed interdum specialiter Deus movet ad aliquid determinate volendum, quod est bonum; sicut in his, quos movet per gratiam.* Docet ergo S. Thomas in operibus naturalibus voluntatem creatam determinare seipsam.

Reponunt Thomistæ, Angelicum præceptorem *motionem universalem* appellare prædeterminationem naturaliter secundis causis applicatam, *motionem* vero *specialem* esse Gratiam victricem supernaturali beneficentia collatam. At Gratia est quidem specialis motio, & interdum quoque prædeterminans. Verum beatus Thomas huic tantum speciali motui tribuit, quod moveat ad aliquid determinate volendum, in motionem autem universalem asserit tantum hominem per rationem determinare seipsum. Igitur per D. Thomam sola specialis motio, quæ est gratia, actum aliquem prædeterminat. Præterea veteres D. Thomæ Commentatores, inter quos Cajetanus, quem sui ceterorum principem esse fatentur, ita hunc locum interpretantur, ut Deus conferat voluntati determinatam volitionem huius, illiusve boni eo tantum sensu, quod indidit rationali creaturæ inclinationem ad bonum, in qua, veluti conclusio in principiis, continetur omnis determinata voluntas; hanc vero determinare seipsam, quoniam nihil omnino velle potest, nisi habeat à prima

C c

causa

15. Propositio 2. Probatur D. Thomam non esse contrarium assertioni.

16. Probatur 2.

causa generalem illam volitionem. Et hæc volitio, ait Cajetanus, est illa, ad quam dictum est oportere voluntatem moveri ab alio, etiam quoad exercitium actus: secundum hanc enim fertur actu in finem, & ex hac vult quidquid vult. Quapropter, ut Deus sit prima causa cujusque motionis, sat est, si hæc determinata volitio ex inclinatione ad bonum procedat, absque ulla actus præfinitione. Rursus S. Thomas Q. 1. de Potentia art. 4. ad 3. ait: *Dicendum, quod licet causa prima maxime insuat in effectum; tamen ejus influentia per causam proximam determinatur.* Et Q. cix. 1. 2. art. 1. comparat Dei motionem illi, quam exercent in inferioribus cœlestia corpora: quorum universalis motio, ut docet Quæst. 2. de ver. art. 4. ab inferioribus corporibus determinatur.

17.
Probatur 3.

Secundo diximus non exigi physicam prædeterminationem à causarum secundarum indifferentia, cum ista activa sit, non passiva. Quæ non videntur doctrinæ Sancti Thomæ adversari. Nam ille in 1. contra Gentiles cap. 82. duplicem indifferentiam distinguit: unam quando potentia & virtus indifferens ad utrumlibet *Nondum consecuta est suam perfectionem, per quam ad unum possit determinari*; quam indifferentiam explicat exemplo intellectus dubitantis, qui nondum affectus est principiis, ex quibus ad alterum determinetur: altera est indifferentia ad utrumlibet, cum operans perfectam habet virtutem, sed à neutro dependet; quam indifferentiam declarat comparatione Artificis, qui pro lubitu diversis utitur instrumentis. Porro D. Thomas docet primam indifferentiam esse ab altera causa determinandam; & nequaquam alteram indifferentiam: ex quo infert Deum, tamen indifferens sit ac liber, non determinari ab alia causa, quoniam habet in se infinitam, plenissimamque virtutem. Atqui per D. Thomam 1. 2. Q. cix. art. 2. habet rationalis creatura per sua naturalia sufficientiam operativam virtutis ad plures naturales actus efficiendos, in hoc etiam corruptæ naturæ statu: Non erit ergo necesse, ut hujus virtutis indifferentia ab alia causa determinetur. Deinde Franciscus Ferrariensis Sacri Prædicatorum Ordinis Generalis Magister, & librorum contra Gentes Commentator illustris, hæc in citato locum proloquitur: *Si aliquid sit indeterminatum per modum materiæ, & potentiæ passivæ, & sit ad utrumlibet ex parte virtutis, oportet ut tale sit po-*

tentia, & ab aliquo extrinseco agente determinetur. Si autem sit indeterminatum per modum agentis liberi, & ad utrumlibet se habentis ex parte ejus ad quod dicitur, oportet tale sit in potentia, nec ab aliquo extrinseco determinari, sed ipsum se ratione suæ libertatis determinare potest. Quo in loco indeterminatum ex parte virtutis. Non appellat doctissimus Ferrariensis agens liberum & indifferens, sed causam nondum consecutam virtutis suæ perfectionem, atque indifferentem passivæ. Id enim & ex productis verbis fit manifestum, & ex collatione eorum, quæ præmissa sunt ex Angelico: tum quod asserat indifferentiam activam, & quæ ad operationem refertur, posse à causa secunda ratione suæ libertatis determinari; ac tandem quod virtute determinata ad unum ex parte potentiæ non causæ liberæ polleant, sed necessaria.

18.
Probatur 4.

Diximus tertio Patres, ubi sermo instituitur de futuris contingentibus ordinis naturalis, nunquam asserere quod prævideantur à Deo in decretis prædeterminantibus, sed prænosci vi simplicissimi contuitus, quo & voluntates & earum determinationes, & opera nullo temporis intervallo à se separata dignoscit, quemadmodum videmus hominem voluntarie incedentem. Et similia docet Angelicus: qui 1. P. Q. xiv. art. xiiii. demonstrat effectum contingentem non posse certo præsciri in sua causa, sed tantum conjecturaliter. Deum vero ideo illum cognoscere in sua causa, & prout est actu in seipso, quoniam Dei æternitas tota simul existens ambit totum tempus, & Dei intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt ei præsentia. Quoniam autem Thomistæ hunc locum judicant pro sua prædeterminatione invictissimum: præstat illum exscribere. Ergo ait S. Thomas: *Et licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sed simul: quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse.* Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est. Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentis, ut quidam dicunt: sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in præsentialitate. Ubi animadvertunt Thomistæ, & omnium novissimus tempore, primus autem eruditione ac sapientia Cardinalis Gotti Quæst. v. de

sciencia

scientia Dei Dub. 1. §. III. num. XII. D. Thomam præter modum cognoscendi futura ratione *praesentialitatis physicae in aeternitate*, supponere alium modum certo ea cognoscendi, ut *objective praesentia* in ideis, non absolute sumptis, sed adjuncto decreto de illis producendis. At non audio in verbis Thomæ decretum istiusmodi. Plana est profecto loci hujus interpretatio: Deo ratione aeternitatis omnia sunt praesentia, non solum rationes rerum & ideæ, sed etiam voluntates creatæ, earumque liberae determinationes: videt proinde contingentia tam in rationibus illis, quam in seipsis; ut nos præcedenti diximus propositione. Atque hæc adeo vera sunt, ut ubicunque de futuris contingentibus occurrit sermo, nullibi decreta prædeterminantia commemoret, sed solum eorum praesentiam. Loca sunt insigniora I. P. Q. LVII. art. III. & Q. LXXXVI. art. 4. quæ studiosi poterunt seipsis expendere.

19:
Probatur §.

Triplex ergo via aperitur conciliandi textus Doctoris Angelici, in quibus asserit Deum futura cognoscere, quia ipse illorum est prima causa. Primo quia omnes causæ secundæ sese movent virtute universalis motionis, in qua Deus prænoscit liberam earum determinationem, non quod hæc sit à prima causa efficaciter præmovente, sed quia nulla creatura determinat seipsam, nisi vi generalis motionis. Deinde quia interdum causas secundas prædeterminat, etiam liberas, ac præsertim ad actus supernaturales hujusce status. Demum, quia ut videantur contingentia in causa, nulla alia determinatio requiritur præterquam causæ proximæ, si videnti nihil sit futurum; ut in incommutabili aeternitate contingit.

AD ARGUMENTA, QUÆ IN CONTRARIUM OBJICIUNTUR.

20.
Obijciuntur 1.

Contra prædicta arguitur 1. Videtur hæc nostra assertio adversari Augustino, imo, quod caput est, sacris literis. Etenim S. P. lib. de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivit quæ fuerat ipse factururus*. At Deus omnia operatur in nobis: ut passim legitur in sacris literis. Omnia ergo novit Deus *Prædestinatione*, & in efficaci decreto. Accedit quod Augustinus lib. XXVI. contra Faustum affirmat, illud esse sine dubio futurum, *Quod Deus vult*. Itaque absque Divinæ voluntatis præfinitione nequit prænosci futurum. Rursus S. P. in lib. de Corrept. & gratia cap. XIV. ait: *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi nostras*. Quare si nos actus nostros liberos determinamus, potest eos prædefinire etiam Deus. Ulterius quod Israelitæ Saullem ac Davidem constituerint sibi reges: fuit naturalis actus in eorum positus voluntate; & tamen S. P. eodem loco asserit: Deum Israelitarum corda inclinasse *Omnipotentissima sua potestate*. Tradidit ergo Augustinus etiam actus liberos naturales à Deo efficaciter prædefiniri.

bet in potestate voluntates hominum, quam ipsi nostras. Quare si nos actus nostros liberos determinamus, potest eos prædefinire etiam Deus. Ulterius quod Israelitæ Saullem ac Davidem constituerint sibi reges: fuit naturalis actus in eorum positus voluntate; & tamen S. P. eodem loco asserit: Deum Israelitarum corda inclinasse *Omnipotentissima sua potestate*. Tradidit ergo Augustinus etiam actus liberos naturales à Deo efficaciter prædefiniri.

Respondetur.

Resp. nego ant. Et ad primum Augustini testimonium dico: utique videri à Deo in sua prædestinatione, quæ ipse Deus operatur; sed quædam tamen præsciri, quæ ipse non facit. Nam ait ibidem S. Pater: *Potest autem esse sine prædestinatione præscientia*. Ergo quæ speciali indigent præmotione, prædestinantur, & in prædestinatione noscuntur. At quæ egent sola præmotione generali, non alia ratione prædestinantur, nisi prout fiunt: decernit scilicet Deus aptare causas tam necessarias, quam liberas, & singulis vim, ac potestatem impertiri, illis determinatam, illis ad utrumlibet inclinabilem. Atque ea ratione Deus operatur omnia in nobis, quoniam necessariæ causæ determinantur ad unum, liberæ se determinant virtute sibi à supremo Conditor collata, omnesque ab auctore suo producantur, perficiuntur, reguntur. Quod, scribit magnus Augustinus contra Faustum, indubitatum est: at non omnis voluntas Dei est efficax & prædeterminans. Interdum à Deo prædeterminari actus naturales, si ei videatur expedire, ut de Israelitis asserit S. Doctor, fatentur nostri, & disertè sapientissimus P. Magister Bellelli in priori Opere, quod inscribitur *Mens Augustini*, P. 2. cap. XXVII. negant tantum physicam prædeterminationem in omnibus futuris indiscriminatim, & ex capite essentialis dependentiæ: aliud est enim, quod Deus tanquam supremus Dominus possit salva quoque libertate prædeterminare causam secundam; aliud causam secundam ita Deo subijci, & ab eo dependere, ut nequeat prodire in actum, nisi prædeterminetur. Quomodo autem consistat libertas cum prædeterminatione explicabimus, Deo dante, in sequentibus. Verum respondere quoque possumus, Deum *Omnipotentissima potestate* inclinasse corda Israelitarum, non ut subderent se Regibus, quod poterant ex libertate, ac nativæ virtutis; sed ut subderent se cum bona voluntate & cum merito. *Non enim*, inquit

C c 2

ibi

ibi eximius Ecclesiae Doctor, *non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico*. Et nos quidem ad bonam voluntatem, ac meritum, post Adae culpam esse necessariam praedeterminationem, contendimus.

21.
Objicitur

2. *Opp. 2.* Deus est cujusque effectus creati prima causa: Sed non est causa nisi per efficacem praefinitionem: Ergo evenit efficaci Divina praefinitione quicunque effectus. Confirmatur haec, quam Thomistae palmarem putant, argumentatio. Principio exigit ratio primae causae, ut sit primum movens: Ergo & illud jure sua petit, ut sit primum determinans. Deinde sine pramotione praedeterminante non salvatur perfectissima dependentia causarum secundarum à prima; haec enim debet esse major, & perfectior quam possit excogitari. Magis autem ab alio dependet quod ab eo necessario praedeterminatur, quam id, quod versatili agitur universalique motione. Tertio postulat supremum dominium Dei, ut specialem in creaturis suis potestatem exercent; Ergo supremi domini titulo debet Deus praedeterminare creaturas suas. Rursus si pramotio Dei universalis determinetur à voluntate, voluntas erit prima causa determinationis comparate ad motionem Divinam; quod valde videtur absurdum: Ergo causa secunda & proxima minime determinat universalem Dei pramotionem. Postremo causae secundae sunt universalis ac primae instrumenta; Instrumenta à primario agente praedeterminantur: Ergo causae secundae praedeterminantur à prima & universalis.

Solvitur
quoad primum.

Resp. nego minorem. Salvatur enim, ut diximus, absque physica praedeterminatione, in Deo ratio supremæ causae, & quia ipse contulit causis liberis facultatem, easque dominas constituit operationum suarum: & quia eas pramovet generaliter, incessanter illuminando, & inclinationem in bonum illis inspirando; quod etiam eas regat, servet, & simultaneo concursu ipsis individuus auxiliator assistat. Hac ratione semper Deus est prima causa, quamvis liberos actus causarum secundarum non praedefiniat: Ad primam confirmationem dico, in nostra quoque sententia Deum esse primum praedeterminantem; cum ille voluntatem creatam antecedenter ad qualemcunque motionem ipsius determinet ad bonum in communi; & virtute hujus praedeterminationis rationalis creatura plenam facultatem,

potestatemque recipiens facta domina suorum actuum semetipsam ad bonum in particulari determinet.

Ad alteram confirmationem dico: in eo sitam esse perfectissimam secundarum causarum dependentiam, ut proinde nequeant in actum, nisi à causa suprema existentiam, regimen, atque facultatem recipiant. Habet autem haec dependentia quamdam extensionem & amplitudinem. Causae enim necessariae ita dependent à prima, ut expertes sint indifferentiae, neque valeant Deo pramovente contrahiti. At liberae ita Deo subduntur, ut accepta virtute adhuc indifferentes sint ad utrumlibet. Quae libertas nullatenus dependentiae adversatur; ea namque & voluntate Conditoris donatae sunt, & possent pro ejus arbitrato expoliari. Quamobrem constituta hac causarum secundarum diversitate, si quae liberae factae sunt egent sola universalis motione, nullum infertur supremo dominio Dei praepudicium, sed in ea libertate commendatur consilium, placitum, & liberalitas Auctoris. Alioqui si omnes res creatae eodem pacto subditae fiant universorum Motori, erunt omnes necessariae, nec resistere poterunt pramoventi; nam haec est major dependentia, quam si derelinquantur à Deo in manu consilii sui. Sed horrent Christianae aures hanc Calvinianam blasphemiam.

Quod ajunt causas secundas in nostra sententia determinare concursum Dei, perinde est ac si dicant voluntatem creatam uti vel abuti pro sua libertate concursu Dei, qui illius non praedeterminat indifferentiam. Ex quo nihil Deo indignum consequitur. Etenim non reddit creatura efficacem Dei concursum, sed ipsa virtute concursus Dei propriam exercet efficientiam, exeritque vires suas in opus, non in Dei pramotionem. Manifesta haec sunt ex conditione supernaturalium habituum, qui non sunt ad actus determinati; & si eis voluntas utitur, recipit, non dat eis efficiendi virtutem. Falsum quoque est determinationem creaturarum esse Divina determinatione priorem; nam efficitur opus ab utraque indivisim; & alias creatura determinat sese virtute pramotionis Divinae: quod satis arbitror repetitum.

In postrema confirmatione non opus est morari diutius. Nam aliud est instrumentum inanime & vita carens, aliud vitale, activum, & dominio ac libertate donatum. Hujus generis sunt creaturae rationales respectu Dei: quae cum

22.
Solvitur
quoad secundum.

23.
Solutio 3.

24.
Solutio 4.

cum sint constitutæ essentialiter indifferentes, non opus est ut à causa prædeterminante ad instar mallei, serræ, runcinæque applicentur.

25. **Objicitur** 3. here student Doctorem Angelicum, nimium se demonstrant in ejus lectione peregrinos. Innumera sunt testimonia quæ de ejus mente reddunt nos certiores. Reduci ea possunt ad quatuor capita. Docet primo omnes causas secundas moveri à prima, & voluntates nostras ejusque effectus à Deo cognosci per hoc, quod sit nobis causa volendi, ut 1. P. q. cv. art. 4. & iii. contra Gentes cap. 56. Affirmat 2. Deum causas secundas inclinare, ut 1. P. q. 60. art. 2. & q. 116. art. 1. Tertio asserit omnem causam contingentem determinari ad effectum ab aliquo exteriori, ut 2. Physicorum textu 48. & vi. Metaph. lect. 3. Quarto ait voluntate Dei non solum res produci, sed etiam modum, quo producantur, prædeterminari, ut 1. ad Anib. dist. 47. art. iv. Exemit omnes scrupulos circa D. Thomæ doctrinam in suo erudito Opere de Divina motione Antoninus Masioulie.

Solutio. Resp. posse hæc omnia facillime cum hac sententia conciliari. Nam auctore D. Thomæ Deus est causa prima omnium effectuum etiam contingentium, duplici titulo, 1. quia fiunt omnia ex præmotione ejus universali, ut docet 1. 2. Q. ix. art. 6. 3., deinde quia sicut motus gravium & levium tribuuntur generanti, qui dedit formam, ita omnis operatio tribuitur Deo, qui dedit virtutem; ut explicat in 3. contra Gentes cap. 67. Similiter docet primum agens subditas sibi causas inclinare, in quantum *inclinatio naturalis est indita ab Auctore naturæ*, ut explicat 1. p. q. ix. art. 1. ad 2., non autem præordinare

fatali necessitate, de qua disputat citata Quæst. cxvi. art. 1. Præterea sapientissime in 2. Physic. scribit causam contingentem determinari ab exteriori principio, quum ibidem assignet discrimen inter causam secundam & primam, quæ non habet ab alia causa inclinationem ad bonum in communi, quæ voluntas se determinat ad bonum in particulari, ut supra ostendimus ex lib. 1. contra Gent. cap. 82. Explicabimus ergo hæc, aliaque id genus de præmotione universali, & determinatione ad illam volitionem, in qua, ut ille ait, tanquam conclusiones in principiis, cæteræ continentur. Tandem per D. Thomam Deus in rebus producendis modum determinavit, quia decrevit alias condere necessarias, & alias liberas, & quibusdam effectibus aptavit causas quæ deficere possunt, quibusdam autem defectibiles, ut inquit 1. Parte Q. xix. art. 8. Atque hæc malum respondere, quam D. Thomam, ut quidam fecerunt, tanquam vulgarem scriptorem dimittere. Quanta autem probabilitate id præstiterimus constat & ex dictis, & ex Opere edito in defensionem S. Thomæ ab erudito viro Petro à S. Josepho Monacho Fulienfi.

Opp. ultimò: In principio indifferenti videri nequeunt certo & infallibiliter res futurae.

Resp. dist. proposit. In principio indifferenti *passive*, concedo: in principio indifferenti *active*, subdist. videri nequeunt infallibiliter ab homine vel ab Angelo, quibus præsens non est determinatio causæ liberæ & opus inde proveniens concedo: videri nequeunt à Deo, cujus sempiternæ menti & simplicissimo aspectui sunt omnia *objective* præsentia, nego. Sed hujus argumenti levitas satis ex antecedentibus potest deprehendi.

26. **Objeccio ultima cum solutione.**

CAPUT VII.

Deum non prævidere mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati.

SUMMARIUM.

1. Variæ Thomistarum opiniones.
2. Usque ad 8. Non videt Deus mala culpæ in decreto, seu prædeterminatione actus, cui adnectitur Peccati malitia.

8. 9. 10. Nec Deus Thomas certo adstruit prædeterminationem physicam ad materiale peccati.
11. Et seqq. Expediuntur objectiones.

1. **Variæ Thomistarum opiniones.**

ET in hoc capite, quod conspectarium est præcedentis, ab Assertoribus physica prædeterminationis est recedendum. Distingunt hi, ne faciant Deum auctorem peccati, in operibus malis actionem, ac deficientiam secundæ

causæ: est enim peccatum *factum*, vel *dictum*, vel *concupitum contra legem æternam*. Quod sit *factum*, vel *dictum*, vel *concupitum*, pertinet ad substantiam actus, & dicitur *materiale peccati*; quod vero sit dissonum à lege æterna, est in

Cc 3

pec-